

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Auaricia k
cum fontibus proximis et primis

Non minoris est criminis habenti tollere
quam cum possis et habes indigentibus denegare.
Esuriencium panis est quem tu detines,
nudorum indumentum quod tu includis,
miserorum redemcio et absolucio pecunia
quam tu in terra fodis;
tantorum scias te inuadere bona;
quantis possis prestare et nolis.

Non sunt bona hominis que secum ferre non potest.
Sola misericordia comes est defuncorum.

Ambrosius in quodam sermone.

Ambrosius [Serm. LXXXI.] de eo....
Neque enim minus est criminis habenti tollere,
quam, cum possis et abundas, indigentibus denegare.
Esurientium panis est, quem tu detines;
nudorum indumentum est, quod tu recludis;
miserorum redemptio est et absolutio pecunia,
quam tu in terra defodis.
Tantorum te ergo scias inuadere bona,
quantis possis prestare quod uelis.

Gratianus, *Decretum*, 1.47.8 (*Corpus iuris canonici*, A. Friedberg ed., col.171-2).

Bona mea et cetera. Ambrosius.
Non sunt hominis bona. que secum auferre non potest.
Sola enim misericordia comes est defuncorum.

Glossa ordinaria, liber euangelii secundum Lucam, 12
(Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Neque enim majoris est criminis habenti tollere,
quam, cum possis et abundes, indigentibus denegare.
Esurientium panis est quem tu detines,
nudorum vestimentum est quod tu recludis,
miserorum redemptio est et absolutio pecunia
quam tu in terram defodis.
Tantorum te ergo scias invadere bona,
quantis possis prestare, si velis.

Basilius Magnus, *Homiliae in Lucam secundum interpretationem Rufini*, 3.7 (PG 31, col.1752B-C).

Remanent enim in saeculo cuncta quae saeculi sunt
et praetereunt a nobis quaecumque congregantur heredibus;
neque enim nostra sunt quae non possumus auferre
nobiscum. Sola uirtus comes est defuncorum,
sola nos sequitur misericordia,
quae caelestium dux et praeuia mansionum pecuniae
uilis usura tabernacula defunctis adquirit aeterna,
sicut domini praecepta testantur dicentis ad nos:
facite uobis amicos de iniquo mamona,
qui uos recipiant in aeterna tabernacula sua.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*, 7.122 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds., p.255, ll.1267-1275).